

bito excitus, cum tumultuaria hominum manu non multo post affuit. Illi venienti Peloponnesiacus eques primo occurrit, ac certamine vix bene injecto, affuerunt & aliæ turmæ navales. Pugnatum aliquandiu est æquo marte: mox vero barbaro cadente, hostes fusi, ac cum strage multa fugati sunt. Victor miles in urbem rediit, inde translata ad naves præda, igni domibus injecto, nobilissima civitas brevi spatio in cineres collapsa est. Scribit Cepio, se hic inter alia vetera monumenta, Homeri, poetæ eminentissimi, sepulchrum vidisse, cum ipsius statua græcis literis inscripta. Nec urbs solum, sed ager quoque illi circumjectus ferro & igni fœde populatus est. Cæforum capita ad naves ducenta & quindecim relata. Classis inde abducta, ad desertas insulas Ioniæ adjacentes appulsa est: hic præda sub corona vendita, manubiæ ipsæ militi sociisque navalibus ac turmis ex pristino instituto divisæ. Quarto deinde die in Clazomenium littus copiæ expositæ. Est Clazomene in extrema parte Smyrnæi sinus: & ipsum quoque olim oppidum in Ionia insigne. Ex agro urbi circumjecto exigua est omnino præda aëta: nam Smyrnææ clavis fama effecerat, ut locorum incolæ jam antea cum imbelli turba ad montes concessissent: pauci ad domorum custodiam relicti, cum camelorum ac reliqui pecoris copia intercepti. Inde, quia jam hybernorum tempus instabat, subsolano flante, utraque classis ex Ionia in Peloponnesum paucis diebus incolumis est reducta. Ubi vero Methonam est appulsum, Pontificis Legatus Venetum complexus ita assatus dicitur: *Ibo, Mocenice, inquit, vir fortissime, rerum a te gestarum testis & publicus præco. Faxim equidem (Italiam modo incolumes attingamus) ut non solum Pontifex augustissimusque ille noster Senatus, sed Italia etiam tota, ac Principes, & populi christiani nominis vel ab Italia remotissimi intelligant, quid Veneti tuis auspiciis, tuo consilio & virtute in Turcos communes hostes tota Asia, Lycia, & Pamphilia ora gesserint. Perge, vir clarissime, ut cœpisti, Venetum decus propagare, rem christianam tueri, tuumque nomen per hæc immortalitati*

1472

*Clazomenium agrum
Mocenicus
pariter popu-
latur.*